



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventurae Episcopi Cardinalis Albanensis,
Seraph. Doctoris Ecclesiae, Speculum Disciplinae, Et
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>
Bonaventura <Heiliger>**

Antverpiæ, 1591

De pudore. Cap. XXII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)

dicitur. Timet etiam hominem magis vel bestiam, vel rem insensibilem, quàm Deum omnipotentem quem offendit, cum tamen hoc. *Heb. 10, 31*
 xendum sit incidere in manus Dei viventis.

De pudore.

CAP. XXII.

PUDOR etiã datus est homini, vt pudeat indigna agere vel egisse genere suo, hoc est peccasse & seruum peccati factũ esse, & mancipium diaboli, & omnis turpitudinis vel inhonestatis & segniciei & vilitatis. Modò autem pudet nos seruitutis Dei, cui omnia seruiunt vel voluntate vel necessitate. Pudet nos imitari Deum in humilitate, paciẽtia, paupertate, religione, obedientia, & despectione, & contumeliis, & confusione: cum non sit Deo dignus qui cum erubescit coram hominibus confiteri, vel etiam imitari, cum gloria magna sit seruo sequi dominum suum. Eodem modo sciẽdum de omnibus quæ à Deo suscepimus, de intellectu mentis, de ingenio, & de corpore & membris eius, & de substantia temporalì & honore & potestate, & de tempore quo viuimus, & omnibus quæ in mundo seruiunt homini. Omnia hæc data sunt nobis, vt inde seruiamus Creatori nostro, & nobis vitam mereamur æternam, & proximos nobiscum trahamus ad vitam. Sed econtrà nos omnia quæ ad vsum vitæ vel meritum gloriæ accepimus, ad vsum conuertimus culpe: ideo cuncta nobis ad vsum vertuntur ultionis, siue per pœnam, siue per pœnitẽtiam. Per pœnam videlicet vt cum caro tentat nos vel affectus carnalis, & appetitus inordinati affligunt nos, vel substantia exterior auferitur nobis, vel aëris intemperies vel terræ sterilitas vel corporis infirmitas

M 2

nos

Sap. II, 17

nos excruciant; vel aliter affligimur, ut per quæ peccauimus, per hæc & puniamur. At si voluntariè pro Deo toleramus, purgamur à peccatis, & coronamur pro patientia & bona voluntate. Si autem inuitè, nihilominus oportet nos puniri vel hîc vel in futuro: & per impatientiam augemus culpam, & per consequens etiam meritum pœnæ.

De singulorum vitiorum natura & descriptione.

CAP. XXIII.

Virtus
quid.

Vitium
quid.

Cap. 9. in
initio.

1. Tim. 1,
17.

NUNC de singulorum vitiorum natura vel descriptione aliqua consideremus, & de remediis quibus curantur; cum virtus aliud non sit quàm vitiorum perfecta curatio, vel carentia vitij, secùdum quod istam materiam respicit. Quia si vitium inordinatus est motus vel affectus naturalis corruptus; eius contrarium virtus est, affectus vel appetitus ordinatus ad id & secundum id, ad quod à bono conditore datus fuit, ut antè patuit in exemplis. Superbia triplex est, ut supra dictum est: cum aut homo plus placet sibi quàm debet, & maiorem se existimat quàm sit in veritate: aut cum aliis placere desiderat & studet amore propriæ gloriæ volens magnus reputari & honorari & laudari: cum soli Deo honor & gloria propriè debeatur, qui solus essentialiter bonus est, & à quo habetur omne bonum. Unde quicquid gloriæ nobis vsurpamus, Deo furamur, imò decipimus nos attribuentes nobis quod non est nostrum: sicut meretrix mentitur se honestam & formosam, cum nō sit. Hęc inanis gloria est, quia vacua veritate & utilitate salutis. Tertia est, cum vult aliis præeminere singularitate gloriæ vel dominio, prælatione & impe-